



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Hieronymi Dandini Cæsenatis E Societate Iesv De Corpore
Animato Lib. VII.**

Dandini, Girolamo

Parisiis, 1611

Digres. 7. Quàm pulchré Aristoteles communem sensus naturam
indicauerit, ad tex. com. 36.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95641)

procedunt; illa virtus eo suggestu posita non patitur ipsas contrarias qualitates: sed ante se positas & ad pedes, genuaque aduolutas & iacentes contempletur. Ita demum iudicium suum promittit; & dulce ab amaro discernit, atque album à dulci discriminat. Et quemadmodum vnus pluribus vellicantibus, litigantibusque potest simul ius dicere: Ita non fit à nulla ratione inuentum, sensum aliquem in nobis promiscuum contineri, qui contrariis sensibus simul operam det. Hæc ex Interprete Themistius. Quibus non solum naturam & vim huius sensus optimè & ad viuum expressit; verum etiam exemplum centri à Philosopho propositum tum pulchrè interpretatus est, tum illustrauit plurimum.

Centri exemplo visos fuisse Platonicos quoque.

Verum non peripateticis modo, sed & Platonicis familiare hoc centri exemplum fuisse, ex Synesio cognosces. Is in libro de Somniis cap. de potestate phantasie, spiritusque phantastici; Auditus, inquit, atque visus non sunt quidem sensus, sed instrumenta sensus, communi sensui ministrantia: & quasi quidam animalis ianitores & ostiarij, nunciantes domino sensilia forissecus occurrentia, quibus pulsantur exteriora sensoria. Intimus interea sensus in cunctis sui partibus sensus est integer. Toto namque spiritu audit, toto videt, similiterque reliqua valet. Distribuit autem vires alias alijs, quarum quælibet deriuatur ex animali seorsum; suntque velut rectæ quædam lineæ profluentes è centro, & coeuntes in centrum: vna quidem omnes ex communi radice, multæ rursus processione iam factæ.

Communis sensus vna est eorum.

Illud enim eo maximè spectare Philosophus quoque voluit, vt intelligeretur, quomodo hic sensus diuiduus sit & indiuiduus: & idè vnus existens plura possit & contraria obiecta simul diiudicare. Centrum etenim, vt duobus modis consideratur, ita & vnum & plura & indiuiduum & diuiduum esse intelligitur. In se & vt circuli medium existit, vnum & indiuiduum punctum est, quod nullas habet partes, nec nisi semel accipitur. At vt plurimarum simul confluentium, ac concurrentium linearum terminus existit; tam est multiplex atque in tot partes diuiduum, quam multæ sunt lineæ, quarum est terminus: nec semel, sed sæpius vt diuersarum linearum terminus usurpatur. Persimilis est natura communis sensus. Nam is tum in se, vt vnica facultas est, vnus existit & indiuiduus: tum verò quatenus particularium omnium sensuum quasi terminus & centrum, quodam modo multiplex atque diuiduus. Vt igitur illorum omnium sensuum concursus velut communis omnium terminus ac centrum excipit, diuersique eorum motus in illum referuntur, & confluunt; & idè non vnus, sed quodam modo multiplex est, vt multorum terminus, non semel sed sæpius acceptus, atque ad hoc & illud obiectum ad hunc & illum sensum comparatus: sic sanè diuersa obiecta suscipit, quæ per plures ac diuersas illuc vias perducuntur: atque adè diuersa de diuersis & separatis diuersorum ac separatorum sensuum obiectis iudicia pronunciat: hoc videlicet esse dulce, illud album, aut aliud quid-

piam. Quatenus verò vna facultas est, vnica promittit actum, eoque vno de illis omnibus simul & eodem tempore statuit. Quod cum dicimus optimè ex natura & conditione organi ac facultatis, de natura & conditione actionis philosophamur. Atque vt facultatis huius organum reliquarum organa; & facultas, motus, qui ab illarum obiectis sunt, omnes excipit: sic actio, quæ ab illa proficitur, est vnica sit, obiecta tamen illa vniuersa complectitur.

Porrò id fieri dixit Aristoteles, quatenus his vitur eodem signo, aut eodem fine ac termino, tanquam duobus. Id quod vitur, est sanè id, quod iudicat: anima scilicet sentiens, quæ suis facultatibus operatur: aut etiam totum animal; siquidem operationes toti conuincendo tribuendæ sunt potius, quam formæ; vt in primo libro tex. 66. traditum est. Quo verò vitur, communis est sensus; qui vt ad plures sensus refertur ac plurium terminus accipitur, verè vt pluribus vitur. Tuncque plura diiudicat, quæ separata sunt, & diuersa obiecta velut separatorum. Quam vocem sanctus Thomas legens (vt in separato) diuiduum præcipuum, quo ea cognoscuntur, communem videlicet sensum alio atque alio modo consideratum significare putauit. Sed Græcè est (vt explicatione) vt separatorum.) Atque hæc est sententia: communem sensum diuersa tunc obiecta iudicare velut sensuum diuersorum. Potellique duobus modis accipi. Altero; quatenus à diuersis sensibus particularibus per diuersa organa ad illum deducta. Altero; tanquam ad diuersos sensus pertinentia: vt dum dulce & album diiudicat, illud iudicat vt gustabile gustatus obiectum, hoc vt aspectabile aspectus proprium. At verò quatenus est vnum (non inquam id, quod vitur; sed id, quo vitur) idem ipse scilicet communis sensus, qui respectu vna quæpiam est & specialis facultas: ita nimirum iudicat (vno & simul); vna inquam actione & eodem tempore plura illa & diuersa plurium ac diuersorum sensuum obiecta.

Digestio viii. Quam pulchrè Aristoteles communis sensus naturam indicauerit.

Tota hæc Philosophi explicatio magnopere differt ab antecedente responsione, quæ ab eo confutata fuit & reiecta. Quod prior illa vnum subiecto diceret sensum, multiplicem forma: eumque alia atque alia ratione diuersos simul & contrarios motus in seipso suscipere. Verèque ostensum est, in eodem non posse simul actu contraria suscipi. At hæc posterior, inquit Philoponus, tum vnum dicit, tum multos subiecto. Vel, vt aiunt Simplicius & Auerroës, vnum forma & multiplicem instrumentis, quibus vitur; & viis, quæ ad ipsum terminantur. Prior vnum recipientem & iudicantem faciebat; hæc vnum iudicantem, multos susipientes constituit. Vultque communem sensum diuersorum & contrariorum simul capacem esse; non materialiter, sed iudicantem, dum illa simul diiudicat. Quod facile fieri potest. Quia cum per cognitionis actum suscipiatur in cognosc-

in cognoscendo forma sine materia, sine contrarietate item repugnantia suscipitur. Sed & cognoscere & iudicare per se est agere non pati ac suscipere; nisi secundaria ratione; quatenus actio illa in eodem remanet, à quo proficitur.

Contendit etiam Philoponus ne dici quidem vllò modo posse (si accuratè loquamur) sensum contraria iudicantem contraria suscipere: cum in vltimo capite libri de Interpretatione traditum sit, contrarias opiniones non eas esse, quæ contraria de contrariis dicunt; vt album disgregare, nigrum congregare: sed quæ de eodem contraria pronuntiant; vt album disgregare, & congregare. Quare si communis sensus album disgregare & nigrum congregare sentit; non ideo dici debet contraria suscipere.

Exemplum
plurimum
in
sensibus.

Neque verò quòd grauissimam difficultatem non alio modo, quàm exemplo, grauissimus Philosophus voluerit explicare, reprehendum nobis est. Immo laudandum magnopere. Quòd rem sua natura difficilem & obscuram facilem ac planam fecerit atque ob oculos posuerit. Tum verò docuerit nos ea, quæ obscura sunt, & à sensibus remota atque in naturæ contemplatione magis recondita, exemplis esse illustranda. Idque in scientiis etiam, quæ demonstrationibus nituntur, sæpè obseruandum esse; non solum hoc loco significauit Aueroes, sed apertis monuit verbis in Commentario 81. libri primi Physicorum, cum materiam vidit feminæ comparatam. Et in Commentario 84. libri quarti vbi quemadmodum intenduntur qualitates & remittantur, circuli exemplum propositum est. Omninoque pluribus aliis in locis vsum exempli Aristotelem fuisse legimus; tametsi rei, de qua agebatur non omni ex parte conuenirent. Quòd ab eodem illo interprete adnotatum est in Commentariis ad textum 6. & 14. libri 3. de Anima. In quorum altero anima locus formarum appellatur; in altero dicitur esse velut tabella, in qua nihil sit scriptum.

Exemplum
plurimum
in
mathematicis.

Porrò Aristoteli hoc loco obiectum aliquando fuisse, eum mathematicè naturalia tractasse, ac per mathematica naturam interpretatum fuisse (quo nomine Platonem ipse non semel accusauit) ex Philopono scimus. Verè tamen is respondit, non ideo Platonem ab Aristotele reprehensum, quòd ex Mathematicis naturalia exponeret, sed quòd naturalia corpora ex lineis & planis & omnino ex Mathematicis constare assereret. Accipiantur ergo non ex Mathematicis modò disciplinis, sed ex aliis quibusuis scientiis & artibus exempla, quibus res nostra illustretur ac planior fiat: modò naturæ rerum ac diuersarum scientiarum obiecta non confundantur, neque vnum esse alterum affirmetur. Ex Mathematicis verò disciplinis, quòd certissima sint & manifestissima. Dumque in hac euoluenda difficultate circuli & centri velut aptissimo ad communis sensus naturam & vim declarandam exemplo vti vellet, Mathematicos nominauit: nec absolute punctum dixit, sed quòd nonnulli punctum vocant. Quoniam eiusmodi punctum indiuiduum, quale is ad indiuiduam sensus naturam signifi-

ficandam quærebat, nullum in naturalibus corporibus reperitur: ab illis dumtaxat cogitatur, mentèque comprehenditur.

Cæterum quoniam antea dictum est, dubitationem eam, quæ de communi potissimum sensu proponebatur, in particularibus item habere locum; quippè qui diuersas & contrarias proprii sui obiecti partes diiudicent (nisi enim hæc particularis sensus cognosceret, ne communis quidem ille cognosceret, qui ea dumtaxat percipit, quæ à particularibus sensibus comprehenduntur, eoque ipso tempore, quo illi, operatur. Tanquam superior omnium iudex, qui tum seorsim partes singulas quasi suam agentes causam audit, dum propria singulorum obiecta cum singulis sentit: tum verò simul omnibus ius dicit, & auditis partibus sententiam fert; cum plura simul aut omnia cum pluribus aut omnibus discernit. Alius fortasse quispiam eundem hunc Philosophi locum reprehendat, quòd de solo communi sensu, de particularibus nihil responderit. Verùm meminerit, non de particularibus in præfenti, sed de communi sermone atque disputationem haberi. Deinde intelligat, in eo dubitationem eam elucere magis, qui & sensuum particularium contrarietates cum illis cognoscit, & velut communis omnium iudex existit. Postremò animaduertat, communi dubitatione communem esse responsum, hancque ipsam vnicuique particularium sensuum conuenire. Quoniam vnusquisque vt ad diuersas & contrarias obiecti sui partes comparatur, & diuersos atque contrarios illorum motus terminat, plura & contraria potest cognoscere. Vt autem vna facultas & vnus sensus est, vnica actione, vnicæque sententia de illis decernit. Neque contraria in se suscipit, sed de contrariis iudicat. Contrariæque qualitates, aut forinsecus stant sensui ad sentiendum, & iudicandum propositæ: aut certè non nisi in organo diuiduo & partibili suscipiuntur. In sensu sola est simplex & pura indicatoria actio, quam ab omni contrarietate, etiam pugnantium obiectorum sit, dictum est esse immunem.

Sensus
particularis
vt
contraria
simul
cognoscit.

Itaque duo prorsus mihi monendus est lector: quorum alterum generale est & sensibus omnibus commune; alterum communis proprium ac peculiare. Vtrumque ex illa præfati Philosophi sententia intelligitur, qua sensum dixit vno actu de pluribus obiectis iudicare. Inde namque manifestum est, sentire esse agere, non pati, sentionemque actionem non passionem, etiam adiunctam passionem habeat, siue antecedentem in organo ab obiecto factam, siue consequentem in ipsa facultate sentiente, quæ illum ipsum actum suscipit, quem promit. Sanè si sentire esset pati ab obiecto, quot sunt obiecta quotque passiones ab ipsis in sensu effectæ, totidem sentiones essent. Si igitur plura & diuersa contrariæque obiecta sentione vnica sentiuntur; sentire non est passio forinsecus ab obiecto illata, sed actio à sentiente facultate intrinsecus enata, atque vna de pluribus & contrariis obiectis iudicans. Iudicatoria actio, inquit Simplicius, nec passio, nec motus est, nec exteriorum re-

Sentire
est
agere.

ceptio: sed actio individua intus proveniens; non
 quidem effectrix sensuum, sed ipsorum cog-
 nitrix iuxta rationes eorum in se præacceptas: non-
 nunquam quidem iuxta vnam solam, nonnun-
 quam autem iuxta plures; cum mutuam quoque ip-
 sorum diuersitatem percipiat.

*Com-
mune
sensum
non esse
particu-
larium
conge-
ratum.*

Ex eadem illa Philosophi propositione & verò
 etiam ex centri & circuli exemplo, intelligere li-
 cet, communis sensus naturā eos minus allequu-
 tos fuisse, qui nequaquam eum esse dixerunt à cæ-
 teris facultatem diuersam, sed particulariū dun-
 taxat omnium sensuum simul sumptorum velut
 congeriem quandam. Neque enim verū est, quod
 illi dicunt; communem sensum appellari, quasi
 sensuum omnium communitatem, concursum, &
 coalitum. Atque vt cōplures nunc rationes præ-
 termittā, qui bus existimatio hæc labefactari po-
 test & tolli: si vnica futura sit actio, quæ de pluri-
 bus simul obiectis iudicet; vnam necesse est facul-
 tatem esse, quæ actionem illam promat. Cū ne
 intelligi quidem possit, à quinque distinctis facul-
 tatibus vnicum cognitionis & iudicij actum pro-
 dire. Præsertim quod illarum vnaquæque non ni-
 si circa suū obiectū agat, deque illo iudicet. Qua-
 re tot omnino actiones erunt, totque iudicia, quot
 obiecta diuersa. Nullum autem commune ac ge-
 nerale iudicium, quo obiectorum illorum discrimen
 cognosceretur. Quia nullus esset vnus & com-
 munitis iudex, qui ea cuncta comprehenderet:
 hæc quippe in superioribus fuit Philosophi ratio-
 cinatio. Deinde communis sensus actiones alio-
 rum sensuum animaduerit, vt est in cap. 2. lib.
 de somno & vigilia; sentit inquam, quod sentiamus.
 At particulares sensus ad externa solum se porrigunt;
 sensationes suas non sentiunt. Alia
 igitur facultas est. Tum verò si centri & circuli
 exemplum consideretur, quod ad hanc, quam
 quærimus, sensus huiusce naturam aperiendam
 adfertur; illud ipsum intelligitur. Etenim tria illa,
 quæ oculis nostris in exemplo proponuntur, cen-
 trum, circulus, lineæque plures à centro ad cir-
 culi ambitum; tria item intelligenda menti subi-
 ciunt. Sensum internum in intimo cerebro velut
 in centro & organo, quo operatur; et si radicem
 & principium cum reliquis omnibus virtutibus à
 corde habeat. Sensus exteriores & illorum organa
 in exterioribus ac patentibus corporis partibus
 tanquam in circuli ambitu. Ac demum nervos à
 cerebro ad exteriorum sensuum organa singula,
 ceu lineas à centro ad ambitum ductas. Quocirca
 si diuersum à cæteris est huiusce sensus organum;
 si diuersus ac tantopere distinctus illius locus; si in-
 terior est, exteriores cæteri; si demum centrum
 differt à circulo, atque adeo à lineis, quæ ab ipso
 tanquam priorè & iam ante illas existente ducun-
 tur ad circulum: cuius sanè perspicuum fuerit,
 communem sensum à particularibus diuersam
 facultatem esse. Neque nunc ea vocis accep-
 tione communem sensum nominare, qua an-
 tea nominatus est in tex. 134. velut particularium
 quædam communitas. Verum ac potius, vt su-
 perior & communis iudex significetur, qui par-
 ticularibus illis omnibus præsit, eorumque actio-
 nes persentiat, atque obiecta omnia discernat
 & separet. Hæc namque sunt facultatis huius
 actiones propriæ. Commune ipsum hoc loco,
 inquit Simplicius, non multorum collectione

*Interio-
ris sen-
sus or-
ganum.*

*Sensum
commu-
ne diu-
ersis ma-
dis dici.
Sensus
commu-
nis ope-
ratio.*

consistit; sed magis in præexistenti contractione,
 hoc est in prioris cuiusdam facultatis, vnde ille
 quasi pendeat, vnitatem.

TEXTVS.

*Ποιὸν δὲ ἐν τῆς ἀρχῆς, ἢ φασὶν τὸ ζῷον εἶναι τὴν
 διαρίθωσιν τῶν ὁσίων ὁσίων.*

*De principio quidem igitur, quo animal sensuum
 esse dicimus, ad hunc modum definitum sit.*

COMMENTARIVS XXXVII.

HIS verbis antecedentem totam, tum de sen-
 sibus omnibus, tum præsertim de eo, qui
 communis est, tractationem concludit. Cum
 antea hactenus definitum esse ait de principio,
 quo animal sensitivum est; non propterea id
 dici Philoponus monet, quasi animal princi-
 piis pluribus & animabus constet, quarum vna
 vegetet, altera sentiat, tertia, ratiocinetur. Sed
 quod id, quo animal est animal, partim est
 vnum, partim multa, vnum substantia, multa
 facultatibus & virtutibus. Namque sentiens
 anima & sentiendi & appetendi & mouendi se-
 loco principium existit in animali. Hactenus
 que de ea dictum fuit, quatenus est sentiendi
 principium; hoc est de sentiente facultate, qua
 animal sensitivum est. Est autem sensitivum, tum
 exterioribus sensibus particularibus, tum inter-
 iori & communi: tumque in actu primo & es-
 sentiali, tum in actu secundo & accidentario, qui
 ad operandum refertur. Quoniam anima, vt est
 apud Simplicium, principium est, & tanquam
 forma, & tanquam vrens: adde etiam tanquam
 finis. Siquidem eam hoc triplici genere animati
 corporis causam esse legitur in text. 36. lib. 2.
 Themistius quoque de sensibus vniuersè dictum
 fuisse concludit.

Verum his omnibus obiciet quispiam, sen-
 tiens anima considerationem nondum esse per-
 fectam; Statimque phantasiæ contemplationem
 subiungi: quam siue eandem cum communi sen-
 su dicas esse, vt in extrema theoria ad text. 144.
 affirmat Philoponus, siue ab eo diuersam; ne-
 gare tamen non potes eam ad sentientem rem
 animam pertinere, interiorēque illius facultate-
 tem esse. Propterea sensitivum ego principium
 potius arbitror communem sensum appellare,
 quem velut centrum, & linearem ad circuli
 ambitum ductarum principium esse docuerat
 quemque alibi sæpè (vt in iis libellis, quos
 parua naturalia vocamus) aut absolute sensi-
 tivum, aut primum sensitivum nominare solet.
 Verè enim is sensus principium est, quo ani-
 mal sensitivum est. Quoniam & velut iudex ac
 princeps sensuum omnium existit & vnus eum
 sit, sensilia omnia comprehendit atque diuidit.
 Et verò etiam ab eo quodam modo cæ-
 teri omnes sensus derivantur, pendunt, nec sine
 eo operari queunt. Quòd ab illius organo ner-
 uo

Diuerſum

vi ac spiritus, sine quibus sensus nulla perficitur, ad particularium sensuum singulorum ducuntur organa. Quare ut prima & princeps causa non agente agere non possunt inferiores cetera; ita ex libro de somno & vigilia cap. 2. nisi ab hoc principio ad sensus reliquos fundatur virtus, omnino non operantur. Et nisi communis quoque sensus cum illis simul operetur & attendat, illi aut profus non operantur, aut perinde est ac si non operentur. Qui cum operationem suam non aduertant, neque videre se, audire, aut omnino sentire animalia sentiunt, nisi communi sensu; hic verè principium est, quo animal sensitivum est. Itaque conclusio hæc non totam respicit antecedentem de sensibus tractationem nisi fortasse secundario, quatenus communi sensu non attendente ne ceteris quidem sensibus sensitivum est animal: sed proximam illam, qua de communi sensu dictum est. Hucque subiungitur ea; quæ est de phantasia. Quamquam dici etiam potest, tota antecedentem sensuum tractationem comprehendit quoniam sensum, appellare solet facultatem eam cognoscere, quæ præsentia solum obiecta cognoscit; phantasia verò circa absentia quoque versatur: nec eam veteres ab intellectu distinguebant.

Digestio viii. De communi sensu.

Accuratus magis omnino fuisse videtur hoc loco philosophus in inuestigando communi sensu, quam in eius natura atque operationibus affectionibus que explicandis. Has quoque modo significe refatis illi fuit. Paulo pluribus euoluenda sunt.

A nominis igitur notione principium sit. Interior sensus nominatur, quod interior & reconditum habeat organum. Communis autem; non quod proprium illius obiectum sit commune sensibile, ut quibusdam placuit: quod & Auerores in com. 65. sentire vult est, cum sensilia communia scripsit communia sensus propria esse. Sed quæ fuerit eo loco Auerores sententia; in superioribus dictum est. Nam & in tex. 134. communium dixit Philosophus communem nos habere sensum. Non enim eo vniu cuiuspiam sensus propria sunt, sed communia omnibus. Eadem Alexandro mens, cum in primo lib. de Anima cap. 18. aspectum scripsit, qui colorum arbiter est, communia sensilia non iudicare, sed ad communem sensum functionem hanc pertinere. Alioqui in com. 36. in lib. de sensu & sensilibus omnino ostendit à particularibus sensibus ea sentiri & iudicari. Neque etiã quod sit superior quispiam & vniuersalis sensus, qui de ceteris ut inferioribus enuntietur, quemadmodum animal de homine & equo. Aut enim alij omnes sensus communes essent, aut falsæ enuntiationes fierent. Neque demum quod exteriorum sensuum congeries sit. Quoniam eum esse facultatem ab alijs omnibus distinctam; ex operatione iam demonstrat Philosophus, sed communis sensus nominatur; tum quod tanquam communis iudex superiorque facultas omnia sensuum exteriorum obiecta cognoscit, iudicat, distinguit, & inter ea discrimen ponit. Tum quod est quasi commune centrum, ad quod exteriores omnes conflunt sensus, obiecta que sua & cognitiones referunt. Cum illo enim consentiunt om-

nes, & communicant. Immo nullus eorum operari potest, quin hic quoque cum illo simul operetur. Atque ab anterioribus cerebri sinibus, ubi huius sensus operatio viget, nervi & spiritus ad exteriorum omnium ducuntur organa. Denique operationes quoque omnes illorum sensuum ab hoc vno communiter percipiuntur; ut antea proditum est.

Hæc igitur sunt huius sensus operationes. Prima, cognoscere omnia exteriorum sensuum obiecta propria. Altera; diiudicare illa & distinguere, singulorum que discrimen agnoscere. Quod non diuisione aut compositione constat (hæc enim non nisi ratiocinando fieret) sed apprehensione simplici atque intuitu plurium obiectorum plurium sensuum: sicut visione vnica aut auditione colores plures sonosque percipimus ac iudicamus. Tertia; sensationes quoque eorumdem exteriorum sensuum cognoscere: quod inquam aspectus cernat & auditus audiat. Operationis quoque cessationem eum cognoscere dixit Priscianus in Theophrastum de anima c. 47. Vniuersusque inquit negotium, otiumque perferit. Quod minime probandum est: quippe priuationum cognitio ad intellectum pertinet. Neque sensus sentit, nisi à præsentibus obiecto permotus: neque otium illud motum vllum habet.

C iam illius subiectum esse animal ut animal est; tum ex Philosophi verbis, quorum postremo interpretationem fecimus, licet cognoscere. Dicit enim huius sensus considerationem concludit, dixisse se ait de principio, quo animal sensitivum dicimus. Tunc ex cap. 1. & 2. lib. de somno & vigilia, ubi somnum & vigiliam ostendit communis sensus affectiones esse: nullamque existere animal, quod semper vigilet aut semper dormiat: sed animalia cuncta vigilare nonnunquam & interdum dormire; quod interdum operari debeant, & ab operatione cessare nonnunquam & quiescere. Quam ob causam ab Aristotele somnus exactori vechigalis comparabatur; quod temporis ad vitam dari dimidia terè auferat partem. Testis est Plutarchus in opusculo, cui titulus est, Aquanè an ignis vtilior. Inde verò necessario consequens est, animalibus cunctis communem sensum, saltem imperfectum aliquem inesse, ut dormire aut vigilare possint. Video etiam ab omnibus concedi, animalia cuncta inchoatam saltem aliquam phantasia habere: at hæc communem sensum supponit. Quod si quædam solo tactu aut etiam gustatu constare dicuntur; sermo est de exterioribus sensibus: neque illi ipsi communi aliquo inchoato sensu carent.

E Plantæ non dormiunt; quia sensum non habent. Nutritio autem quiete ac cessatione non eget; quod simul consumat & noui alimenti commutatione vim operandi restituit. Quia tamen non æquè perfecte restaurat, vltima tandem quædam quies est, quæ mors seu ariditas appellatur.

Sensationes verò absumunt spirituum nihilque restaurant. Quare præter vltimam illam mortis quietem, quæ vegetantis operationis est propria, indigent alia, quæ subinde spiritus renouetur. Hæc est somnus. At si communis sensus affectiones sunt vigilia & somnus, de his quoque

Com-
munis
sensus
opera-
tiones.

Com-
munis
sensus
in ani-
malibus
cunctis.

Som-
nus ve-
chigalis
exactor.

Planta
cur non
dormiunt

Com-
munis
sensus
affectio-
nes, vi-
gilia &
somnia.